

inflexa, aculeis geminis divergentibus. *Decand.*
pl. succ. p. 151. t. 151.

Habitat *†. C.*

Caules spithamaei plerumque simplices, compressi, carnosii; seniores uno latere convexi, altero planiusculi, hinc obtuse trigoni apparent. *Petala* subrotunda integerrima, sub lente adspecta, tenuissime fimbriata.

† † *Fruticosae inermes. Caulis nec dichotomus nec umbelliferus.*

5. *EUPHORBIA Caput medusae.*

E. inermis imbricata, tuberculis, folio lineari instructis, floribus subpedunculatis, petalis palmatis.
Sp. pl. ed. W. 2. p. 887.

Habitat ad Cap. b. spei. †. T.

* 6. *EUPHORBIA Ornithopus* *).

E. inermis tuberculata, tuberculis folio oblongo caduco instructis, pedunculis solitariis ternisve unifloris terminalibus, petalis tripartitis.

Euphorbia Ornithopus. Jacq. fragm. bot. t. 120.

Habitat ad Cap. b. spei. †. T.

Pedunculi uniflori bracteis binis ellipticis sub flore instructi. Affinis *Euphorbiae Anacanthae* sed flores pedunculati et petala profunde tripartita nec tridentata.

*) Hujus tribus sunt, inter multas novas, sequentes praecipue memoratu dignae:

EUPHORBIA aphylla.

E. inermis nuda aphylla ramosa, ramis tetragonis, floribus solitariis terminalibus.

Euphorbia aphylla. Broussonet.

Habitat in Teneriffa. †.

EUPHORBIA atropurpurea.

E. inermis fruticosa, foliis lanceolatis apice confertis integerrimis, umbella terminali sessili, radiis dichotomis, involucellis connatis coloratis:

Euphorbia atropurpurea. Broussonet.

Habitat in Teneriffa. †.

Rami crassitie fere digiti minoris. *Folia* in apicibus ramorum conferta sessilia bipollicaria lanceolata basi angustata obtusiuscula integerrima glabra. *Umbella* terminalis quinquerradiata sessilis, radiis dichotomis. *Involucella* atropurpurea, dichotomiae oblonga unguicularia, terminalia multo majora subrotunda connata.